

Disputatio medica inauguralis, de malacia ... / [Johann Christian Tralles].

Contributors

Tralles, Johann Christian, -1698.
Major, Johann Daniel, 1634-1693.
Universität Kiel.

Publication/Creation

Kilonii : Typis Joachimi Reumanni, 1677.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/wbrnh897>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Felicitèr!

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

*De***MALACIA,***Quam*

Annunte DIVINA GRATIA,

Decreto & Auctoritate

INCLUTÆ FACULTATIS MEDICÆ,

Præside,

JOH. DANIELE MAJORE,

Phil. & Med. Doctore, Anatom. & Med. Pra-

ctica P. P. Celeberrimo,

IN ILLUSTRİ HOLSATORUM ACADEMIA,

CHRISTIAN-ALBERTINA,*Pro Summis in Medicâ Arte honoribus**solemniter consequendis,*

publico & placido Eruditorum Examine subicit

JOHANNES CHRISTIANUS TRALLES,

Strelâ Silesius.

D. IV. Jul. A. O. R. MDC LXXVII. In Auditorio Majori

Ante & post meridiem.

KILONI,

TYPIS JOACHIMI REUMANNI, ACAD. TYPOGR.

clb lbc LXXVII.

VIRIS

*Nobilissimis, Per-Reverendis, Consultis-
simo, Clarissimis ac Doctissimis,*

DN. CHRISTOPHORO Eschrieg/

**JCto Celeberrimo & Incluti Senatorii Ordinis
Bregensis Collegæ gravissimo,**

DN. JOH: ANTONIO TRALLES,

Pastori & Seniori Strelensium optimè merito,

DN. TOBIÆ Löwen /

Diacono Strelensium vigilantissimo,

DN. JEREMIÆ Kleener /

Pastori in Lorenzberg & Zäsch-Kittel Ordinario,

DN. CHRISTIANO Zimmerman /

Scabino & Civi Strelensium honoratissimo.

**Dnn. Affinibus, Parenti Optimo,
omnibus ætatè mihi honorandis,**

In signum officiorum suorum & filialis observantiæ,

hoc quicquid est pagellarum,

& cum his

Se Totum

offert

Autor.

Præfamen.

Mulierum affectum, quem Malaciam vocant, delineare animus est, quod sexus sequior ut plurimum præ maribus magis morbus sit obnoxius, vel etiam morbos alat indolis à sexûs masculini pathematis multum discrepantis, adeoq; sæpiùs à Medico opem imploret. Præterquam enim quod fœmina gens primâ sub conformatione cras in corporeæ machine hydraulico-pneumatico-plasticæ nacta sit delicatiorē, seu ejus fluida, seu solida respicias; illis quidem ex ejusmodi textura constantibus, quæ levi de causâ aliam planè faciem, quoad situm, configurationem, respectum ad se invicem corpusculorum Salinorum aliorumq; induit; his verò fibrillis, facilibus in in motus anomalos, præditis; latet quoque insuper in hoc animal, mulierem intellige, aliud animal (Uterum sic vocat Helmontius) quod subindè oestro indignationis abreptum miras & insolitas ludit tragædias, adeoque hinc muliercula, secundum verissimum Practicorum effatum, omnem morbum bis videtur pati. Ut ut enim non existimem, Uteri substantiam, certè in se miraculosam, ejusmodi turbarum existere fontem; hæriolar tamen ejus Blas (ignosce Helmontio ita fari solito) seu testiculorum adjacentium genituram fermentali odore vegetam, quocunque demum uso do peccantem, variæ sortis inducere mala. Ut præteream aliàs causas circa & in utero stabulantes ansamque multis affectibus præbentes. Loquantur pro me furor uterinus, chlorosis Virginum, & plurimi alii affectus soli sexui fœmineo familiares. Ut subindè ob id miratus fuerim, nullum ferè Pathologorum fuisse, qui accuratè muliebria ovaria, & horum vesiculus seminali colliquamento tur-

gidas rimatus fuisset, & quid morborum patiantur, indagasset. Quale fatum quoque mansisse doleo renes succenturiatos aliasque corporis humani partes. Profectò sanè, uti, geniturâ hac primùm se exserente, toti corpori novus quasi afflatur & induitur habitus, mammillis sororiantibus; inguine venereis floribus superbiente, rivulo catameniorum purpureo antrum venereum irrorante, & Massâ sanguineâ petulcæ pruriginis Sale quasi spumante & orgasmos venereos ciente; ita etiam illa, ubi à legitimâ taxi degeneravit, ulterius variis modis sanguinem afficere potest, ut exinde occultorum morborum enascatur seges. Maribus quidem hæc testiculorum fracedo imperare solet, adeò, ut subindè exinde morbos contrahant, vel etiam singulari alteratione à pathematis gravioribus liberentur. Hinc Magnus ille Hippocrates huic energæ alterativæ in malis majoris etiam momenti, & quibus ipsius τὸ Θεῖον subesse videtur, multum tribuit, dicens; nisi sub pubertatis annis, fermento scilicet hoc seminali in actum prorumpente, Epilepsia puerorum aboleatur, se vereri, ne posthac per totum vitæ cursum subsistat. Certè, referente Experientissimo D. Winclero, Practico Bregensi Celebri in Miscell. Curios. Germ. Ann. VI. & VII, Civis Bregæ fuit, qui, durante viduitate ac retentione seminis, fatuus erat; Uxorem nactus ad mentem saniozem rediit. Ast, ne præfationis limites excedam, hic pedem figo, & saltem ex tot ac tantis fæminarum æumnis unicam in medium profero. Sin verò minus ad amussim, LECTOR BENEVOLE, hoc Thema Inaugurale exasciatum allegationumque coloribus incrustatum fuerit, id ipsum, quicquid defectus fuerit, mihi librorum penuriâ laboranti & temporis angustia circumscripto, noli, quæso, vitio vertere. DEUS nobis adstet!

TRA-

TRACTATIO IPSA.

§. 1.

FOrsan nemonon mirabitur, me hic agere de ejusmodi affectu, ceu morboſo, qui non æquè adeo attendendus ſit Medico, cum dentur Mulieres malaciâ vel picâ affectæ, quæ non ſtatim conſulunt Medicum, ſibi ipſiſmet medentes, modò ipſis concedatur eorum, quæ perversè appetunt, uſus, non ſecus, ac Struthio - camelus nimiâ fermenti eſurini aciditate laborans aſſumpto ferro, ſtrenuo acidorum Marte, & paſſerculi, quorum aciditatem ſtomachalem Helmontius ex ipſorum roſtris evaporantem deprehendit, aliæque aves iſtam acrimoniam lapillis, calcisque ac arenularum frustulis infringentes ſibi ipſis formulas præſcribunt. Verùm enim verò, ſi ſanitas in eo conſiſtit genuina, ut actiones quæcunque exerceantur legitimè, ſequitur, cum morbo tunc conflictari corpus noſtrum, quando eadem depravatè eduntur. Cum proin ejusmodi appetu, quæ totò genere p. n. ſunt, & à quibus, ſi diutius iſtorum uſui inhiavero, proſtratis viribus protopepticiſ Ventricle, à quo, dicente Thomſono in Epilogiſmis Chemicis, totius Oeconomia ſana & ægra dependet, cachexiam & diatheſin Morboſam Succorum corporis contraho, annon ſtatus iſte morboſus, ſeu diſpoſitio morboſa ad majus malum conſlandum venit dicenda, adeoque à Medico conſideranda? Certè ob effectus venenatos, quos poſt læſionem relinquit vipera, in ſe non æquè veneno turgida, ab omnibus dicitur venenosa.

§. 2.

Malacia proin vocatur Morbus, ubi appetitus ita depravatur, ut ſæminæ, præprimis imprægnatæ, frequentiffimè

mè primis, nonnunquam etiam posterioribus ingravidationis mensibus varia appetant, quæ partim non sunt esculenta, v. g. creta, carbones, cineres, lacca, argilla, fistulæ tabaci; partim verò, si fuerint alimenta, illa in nimia doli ingerunt, ita, ut, si nimis rigorosè ab horum usu abarceantur, pejus habeant, quàm si ista fuerint modicè concessa. Nonnunquam tamen etiam tenentur pruriginè aliquod palpandi, vel evellendi, uti illa fœmina Lipsiensis, quæ in barbam Viri cujusdam involavit, cujus meminit Salmuth.

Existimo autem in hoc casu & ei similibus aliis desiderium hoc non commodè nomine malaciæ vel picæ venire, quatenus hi modi depravati appetus præter fermentum stomachi certo modo alteratum simul involvunt imaginationem aberrantem; in illis vero istiusmodi raptum solis imaginationis delinquentis indicium esse, constat. Quilibet tamen circa hæc & alia suò abundet genio.

§. 3.

Ut ut autem malum hoc gravidis sit domesticum & haud infrequens, novimus tamen per observationes Medicas labem hanc quoque extra illum imprægnationis statum aggressam fuisse fœminas & virgines, maximè vel ante menstruorum fluxum, vel ipsis suppressis, annotante Celeberrimo Medicæ Artis sydere, Sylvio in Prax. Med. L. I. Cap. II. quid? puellas ipsas, mares & pueros. Vid: Miscell: Germ: Curios: Ann: VI. & VII. obs. CXXXIX, Ann: I. obs. 38. Picam hæreditariam observavit Greg. Horst: Lib. IV. Observat: Med: de morb. viscer. concoct: obs. 5. & de pica in brutis contingente videre est Act: Philos: Angl: p. 447.

§. 4.

Attamen omnium communissimè & sæpissime affectus

ctus hic prægnañtes torquere solet. Unde & appetitus va-
rius & vagus (wenn Sie bald nach diesem bald nach jenem gelü-
stet) etiam rerum minus asfuetarum pro certissimo indicio
ingravidationis à mulierculis habetur. Nimirum suspicari
licebit, heterogeneo hospite, semine scilicet, in istarum mu-
liebria immisso, pristinum ipsarum statum inverti, & aliam
planè crasin succis contentis induci. Credibile verò esse pu-
to, imò rationi & experimentis consentaneum, feminis im-
missionem fœcundam non saltem operari in vesiculas semi-
nales seu ovula, & forsan etiam ipsam matricem, quæ post
dissectionem à coitu in brutis aliâ, quàm quidem antè, ap-
paret facie, observantibus iis, quibus negotium generatio-
nis arduum curæ cordiq; fuit; sed etiam ultra hos limbos
feminale contagium vires suas exferere, massam sanguinis
petere, & afflatu suo alterativo notam quandam ipsi impri-
mere. Hinc rigor iste quasi febrilis seu horripilatio (es
schüttelt ihnen die Haut) ut plurimum post coitum fœcundum
observatur, quæ non aliundè, quàm quod aliquid hetero-
genei, uti in febriculis fieri solet, massæ sanguineæ com-
municatum fuit. Aliis fœmellis solenne est, ut post con-
ceptionem simul ipsis procreetur fastidium venerearum il-
lecebrarum, quasi nimirum spiritus volatiles & sanguis ar-
teriosus elatere hoc Salino volatili instructus, veneris aliàs
stimuli, nacti essent suave seminalis roris contubernium, de
quo in sinu gauderent, & non amplius cuperent saturari
mellitissimo isto nectare. Unde, amabò, deducis genera-
tionem lactis in mammis, quæ post conceptionem depre-
henditur, nisi admittas feminale succendiculum, quod glan-
dulas & ductulos lactiferos & in his fortè latitans dispositi-
vum seu præcipitans ex sanguine chylosum hunc succum
fermentum excitat, admittas? Tandem, quæso, quid aliud
edo.

edocent tot enormes vomitus prægnantibus primis mensibus familiares, quàm immutatam ab extra adveniente peregrino texturam succorum corporis fœminei? Certè ex relatione Amici veritatis amantissimi novi, mulierem quandam post singulos coitus materiam albugineam evomere, similem illi, de quâ etiam aliquid videas Anno I. Ephemerid. Curios. Observ. IV. Et hinc deduco rationem, quâ fiat, ut nonnunquam nova marita post aliquos congressus malam sibi contrahat dispositionem; quatenus nimirum per semen mariti ipsi heterogenei quicquam & peregrinum fuit communicatum, multarum molestiarum autor. Sanè lue Venereâ laborans cum sanâ rem habens illi quoque hanc labem affricat, quoniam sub coitus ardore, porulis pudendorum seu harum partium vasorum osculis magis extravertus referatis, tabes illa cancrofa faciliè in sanguinem perreptare valet.

§. 5.

Sententia hæc est Stenoniana, quam, ut campus differendi aperiatur, placuit hic apposuisse. Stabiliendæ hujus ergo non proferam commune istud Hippocratis asyllum, quasi totum Corpus sit permeabile & transpirabile: Sed dicam saltem, si consideras summam penetrandi vim, quâ minimâ corpuscula gaudent, ut etiam granum unum cœteroquin decantatissimæ istius Philosophorum tincturæ benedictæ vi extensionis minimorum compactissima metalla, seu potius ipsorum Mercurium, aquam manus non madefacientem, ceu masfeminam, subeat: Mercurii guttulæ compagi lignosæ se intimus insinuent, qualis sortis frustum ligni Mercurio probè saturatum in Disertatione quâdam Domini præsidis, videre licet, quodq; pro singulari in me affectu oculis usurpandam mihi concessit: effluvia rosarum, quæ Italis dicuntur Moschette, insidentium Muscarum Corpuscula fragran-

fragrantissimo odore imbuant, subeundo porulos angustos
tenellarum bestiolarum, notante Amplissimo D. Pechlino,
Decano Spectatissimo, & Promotore meo suspiciendo in
accuratis: Exercit: de purgantibus; igneæ atomi, obser-
vante naturalis scientiæ promo condo, Nobili Boylæo, &
non minus Judiciosissimo ac sagacissimo Borrichio in Vol.
1. Actor. Haffn. p. 117, imò aqua, crassum corpus, vitrum,
& Solis radii, qui tamen mera corpora sunt, quia ignis
diffusus & discontinuatus lentem causticam penetrent; aë-
ris nitrosæ particulæ in pulmonum vesiculis compactissi-
mis mediantibus tracheæ ductib; hinc inde disseminatis San-
guini se immiscentes ipsius purpuram exaltent; bilis parti-
culæ cystim, in quâ continentur, & lymphæ per *διαμήδον*
per vasa lymphatica (quod ex Lovveriano experimento ar-
tificialem hydrocephalum producente, constat) transludent:
effluvium quoddam cadaverosum per osculum conjugis mor-
tuæ datum sese per cæcas meatus sanguini vel pulmonibus
Mariti insinuans postmodum ipsius animam per totum vitæ
cursum fæto cadaveroso inquinaverit, prout ex relatione
Chemici perspicacissimi, D. Barneri, habeo, & postmodum
in observationibus Mearæ legi; ex facili Tibi persuadere
poteris, vitale aliquod seminalis contagii effluvium, quod,
quia de naturâ Salinâ volatili lucida (in quâ forsan vita
nostra consistit) non habet Sibi par in Naturæ latifundio
quoad summam subtilitatem, penetrare posse orificia va-
forum vel alios Meatus, & insinuando se Massæ sanguineæ
motum aliquem anomalum per modum fermentationis,
cum corpusculum hoc sit summè elasticum & expansivum,
imprimere; præsertim, cum sanguis noster ejusmodi sit li-
quor, qui accessu cujusdam peregrini, non secus ac vinum
aliique liquores fermentescentes propter salinam sui textu-
ram

ram facile fermentativi motûs analogum quid concipiat.

§. 5.

Notanter verò dixi hoc deciduum seminale contagium ad instar fermenti in minimo punctulo etiam activi per modum fermentationis sanguinem alterare, quippe quod fermenta, secundum Helmontium, Universam in naturâ scenam, Si transmutationum & alterationum plurimarum actus respicias, ludant, quæque tantillo corporeæ moleculæ, mediante vi elasticâ, in principio salino volatili oleoso, Sui diffusivo & multiplicativo residente, maximas turbas & insignia edant phænomena. Scilicet tantillum fermenti massam farinaceam multam in motus abripit; tantillum salivalis fermenti conditis seu Syrupis admistum productâ fermentatione acorem illis conciliat. Tantillum albuminis ovorum insignem plantarum quantitatem fermentat. Tantillum fermenti acrioris subinde in labiis efflorescens massæ sanguineæ febriculam & toti systemati varia induxit symptomata. Tantillum fermenti specifici in bulbis vegetabilium ceu in ipsorum Stomacho, observante Monsieur Boccon dens les recherches naturelles, latitans Lessas, Helmontio dictum, vel principium vegetabile specifico sapore odore & colore etiam imprægnat. Tantillum rancidi fermenti veneriei vel per mutua basia, vel ichore ulceroso transplantatum artus & succos corporis lentâ tabe exedit. Tantillum contagii (contagia verò sunt de naturâ fermentorum in principio vel alcalino, vel acido, & forsan ex his duobus neutro enato materiæ plus min⁹ viscidæ alligato fundata) pestilentialis, quod subinde, referente Helmontio in Tr. de tumulto pestis, in καρδιά seu orificio Ventriculi anteriore escharam, instar cauterii, inducit, aëre haustum hominem

nem miserè perimit. Tantillum fermenti subtilissimi à cane rabido sanguini & succis corporis per mutuam & mu-
mialem confermentationem affrictum afflatu fermentativo
toti systemati spirituum characterem hydrophobiæ inurit,
qualem in se fovet canis ipse furibundus.

§. 6.

Fermentorum enim, præter alias dotes in explicabi-
les, iste quoque genius est, ut commutativâ vi singulari si-
bi simile producant, nisi in cursu operationis vis ipsorum â
superveniente potentiâ majori sufflaminetur. Recensente
quippe Helmontio, aqua infusa cado aceto antea impræ-
gnato acetum evasit. Legimus in scripto accuratissimo
Magnifici Pro-Rectoris hujus Academiae, D. Mohrhoffii, de
transmutat: metallorum, quod Excellentiss. D. March, an-
tea Professor in hac Academia meritissimus nunc Archia-
ter Berolinensis calleat modum conficiendi pulverem, cu-
jus fracedine fermentativa itidem aqua transit in acetum.
Certè tantillum fermenti scabiosi de naturâ acidâ chirothe-
cæ foemellæ cujusdam istam Helmontio porrigentis ad-
hærens miserum Helmontium reddidit Scabiosum, dicen-
te ipso in Tract: scabies & ulcera Scholar: Et nescio an de-
beam addere, quod Tantillum fermenti podagrici vesti-
bus affrictum produxerit in alio podagram contagiosam,
quam vide, sis, in Miscellan: Academ: Natur: Curiosor:
obs: CXLIII. An. VI. & VII.

§. 7.

Evagatus sum paululum; sed de industria, ut, ubi post-
modum de fermento ventriculi unum alterumve dicendum
esset, hæc videar prælibasse hîc; nec non ut patefeat, quàm
non sit admiratione dignum, sicubi prægnantes patiantur
pathemata extraordinaria, cum extraordinarium quoddam

eum semine in se recipere cogantur. Accingam me pro-
in ad accuratiorem magis, his quasi præsuppositis, affectus
illius dilucidationem,

§. 8.

Vocavi autem picam seu malaciam appetitum deprava-
vatum circa assumenda ore. Cum verò rectum sit norma
sui & obliqui primùm considerandus nobis est Appetitus
alimentorum, prout se habet ille in statu integræ sanita-
tis. Est autem hic nihil aliud, quàm stimulus quidam, à
quo excitantur spiritus animales in nervis antè ventricu-
li orificium ambientibus, vel etiam infibrillis tunicarum
stomachalium copiosè undulantibus certò modò, ut exin-
de phantasia Sibi concipiat notionem seu ideam, voca ut
lubet, assumendorum alimentorum, vel alterius cujusdam
horum vices sustinentis, quò infringatur & sedetur istud
vellicans. Fateor hîc me deficere verba, quibus dignè ex-
plicare queam actum istum, quò corpuscula ista spirituum
animalium subtilissima per certum & modificatum motum
in cerebro characterem stimuli ipsis impressi retrogrado
suo motu in corpora striata seu corpus callosum delineent,
aliosque spiritus excitent, qui ferantur in alimenta. Solus
Cartesius in Tractatu tali Autore digno, de homine, quic-
quam nobis circa hæc negotium revelavit, nullo Autore
ante eum tantillum, quod sciam, nos edocente; quod satis
mirari nequeo.

§. 9.

Hic stimulus habet se in operatione hac activè; fibrillæ,
verò nerveæ, vel potius materia ista ætherea spirituum ani-
malium in istis undulans, quatenus movetur ab hoc stimu-
lo passivè. Nimirum fibrillæ orificii modò memorati su-
perioris summè sensibilis vellicatæ interventu spirituum in-
colarum

colarum admodum mobilium insitu suo mechanico coactè & vi quadam blandâ mutantur, ut exinde quasi quædam constitutio spasmodica nonnihil tristi-sensibilis (ut ita loquar) & dolorifica emergat. Doloris verò quasvis species ejusmodi convulsivam diathesin in se includere, si ignoras, discè passim ab isto Naturæ Scrutatore, Willisio, cujus facta præmatura tota Resp. literaria doleat, necessum est, in Scriptis ejus. Stimulus hic movens spiritus nihil est aliud, quàm corpus quoddam subtile ejusmodi schesi dotatum, quâ possit findendo quasi ac scindendo texturam fibrillarum seu earum filamenta nervea intersecare, & illis superficiali quâdam læsione dolorifici quid inferre. Hæc verò descriptio nulli particulæ melius competit, quàm acido, cujus corpuscula modò gladiolis, novaculis, aut lanceolis, modo acui, spiculis aut aculeis etiam assimilantur, docente ten Rhyne in meditationibus In Magni Hippocrat: Textum XXIV de Veteri Medicinâ p. 184, & quales cristallulos in Sale essentiali acetosæ me aliquando vidisse memini. Scilicet constituunt hoc calcar appetitus effluvia subtiliora acida ex fermento stomachico & reliquis alimentorum fermentorum enata, pungentia & moventia spiritus animales.

§. 10.

Reliquias verò has esse acidas exinde colligo, quia uti §. 6. dixi ea fermentorum indoles est, ut sibi tradita, & in quæ potestatem suam exserere valuerunt, sibi reddant similia. Jam cum Helmontio aliisque, donec meliora edoctus & argumentis in contrarium prolatis firmisimis convictus fuero, credo fermentum Ventriculi seu liquorem istum transmutatorem alimentorum, esse profapiæ acidæ, utut forsan primarium concurrens & acidum hoc movens sit summè elasticum, volatile, vitale, adeoque alimenta à fer-

mento acido discerpta vitalitatis caractere sigillans, cum acidum, quâ acidum, observante Excellētissimo D. Bohnio, Professore Anat: & Chirurgiæ in inclutâ Lipsiensium Aca-
demiâ, Præceptore atque Patrono meo omnitempore mi-
hi colendissimo in Disput: Physiolog. III. fermentationem
potius in hibeat. quàm promoveat. Et, Bone DEUS! non-
ne in febribus intermittētibz acidum hoc radix harum
est, adeoque copiosè ubique scatet? verum, cum princi-
pium hoc vitale volatile, quod me iudice in omnibus mor-
bis patitur, sit enervatum, non digeruntur sed potius nev-
rosin concipiunt alimenta. Paucis, fermentum hoc
est acidum, volatile, vitale, nullum in totâ rerum univer-
sitate sibi habens par. Ut enim modò laudatus & nun-
quam satis mihi laudandus D. Bohne in Angliâ apud quendam
viderit liquorem, carnes in Mucilaginem chylo planè simi-
lem solventem; Tachenius quoque ejusmodi menstru-
um in Scriptis suis jactitet; hi tamen succi saltem simiæ sunt
fermenti protopeptici stomachalis, non genuina ejus pro-
les, quæ in omnibus cum matre conveniat. Dic mihi ma-
nifestiora in hisce, quas palpamus etiam in luce Experimen-
torum, Physicæ Scientiæ tenebris, & Phyllida solus habeto.
Hoc ergo acidum fermentum vi axiomatis defermentis da-
tis resolvit alimenta in cremorem acidum, seu iste per trans-
mutationem talis fuerit factus, seu saltem propter admistas
intimius particulas menstrui hujus esurini in porulis resolu-
tæ escæ nidulantis ita evaserit. Novimus enim, Si cum
menstruis aliis corrosivis hic vitalis liquor alcahest compa-
rari possit, unicuique soluto accrescere particulas men-
strui, ut exinde etiam se ipso fiat ponderosius adeoque post-
modum pro usu Medico aquâ veniat edulcorandum, ut scili-
cet abluantur particulæ Salinæ in aquâ, utpote commodo
Saliū

Salium solvente, resolubiles. Ex quo etiam fundamento Zvvelferus, strenuus Chemiæ reformator, & ejus fidelissimus affecla, Le Febure in Chemiâ suâ, uti & in alio Tractatu quodam, quem vocat, Reflexions Sur le grand Cordial de Sr: Walter Ravvleigh magisteria, tanquam calcem inertem, ab utrôque Sale saturatam, rejiciunt.

§. II.

Quemadmodum verò in fermentatione Vegetabilium fieri amat, ut, si ultra assuetum asserventur terminum in motu fermentativo (quoquidem nonnulli aceta Vegetabilium spirituosâ producere volunt) acescant planè, ita ut postea nequicquam spiritus inflammabilis exinde elicere queas, particulis Salino-Oleaginosi volatilibus aut planè subjugum redactis ab acido, uti fit in aceto vini, in quo sunt saltem suppressæ illæ atomi volatiles, reduci biles ex sacharo saturni mediante aceto conflato; aut certâ ratione in schesi mutatis, si non dicere liceat ipsas alcalinas portiones in Sal acidum degenerasse; (quod quidem paradoxon, Salia bina, acidum & alcali in se invicem, & olea in Salia posse converti, ad quod posterius inclinât Helmontius, & alii, ingeniis me & acumine & rerum experientiâ multijugâ majoribus lubens examinandum relinquo; quale quid forsân præstitisse auguror Nobilem Anglum, Boylæum, in recens edito tractatu de Acido & Alkali,) ita existimo quòque fieri, ut reliquiæ alimentorum, seu quod propter visciditatem aliquam, seu aliam quandam ineptitudinem non æquè æqualiter ac in reliquas auscultantes ipsi particulas, fermentum in eas potuerit agere; seu quod etiam sic à natura constitutum sit, ut semper aliquid alimentorum fermentorum, ceu succendiculum, in stomacho remanerent, accedente morâ & tepore loci resolvantur in liquamen acidum fermenti acidi characterem tenaciter reservans.

Quod ipsum magma quia adhuc in se foveat motum elasticum in fermentatione contractum, accedente continuo calore partium adjacentium & ipso hoc in motu constituto, eructat favillas quasi acidas, stante hac, uti verissima est, hypothese, quod omne corpus gaudeat sua atmosphæra, etiam solidissimum; multò verò magis ejusmodi liquidum, jam in motu, ratione fluiditatis, consistens, capax erit emit- tendis effluviis. Accedit, quod, ex observatione modò lau- dati Boylæi, effluvia participant de naturâ determinatâ, quam totum obtinet concretum; ut scilicet minimum ambra ex- halans præ se ferat totam crasin corporis, ex quo exhalavit. Sic pusillum rosæ moschatae effluvium æquè illis, qui floris hujus suavissimi fragrantiam ferre nequeunt, caput ferit, quàm si rosam integram naribus admovissent. Minima ef- fluvia ex tabaco externè illito intus mediante circulatione sanguinis suscepta vomitus & secessus enormes puero intul- lerunt, ac si herbam hanc integram devorasset, referente hoc ipsum mihi Practico quodam Artis Medicæ famigeratis- simo. Certè ex relatione Nobilissimi ac Excellentissimi DN. D. Glassii, Archiatri Martisburgensis Celeberrimi, Patroni mei singulariter colendi constat mihi, nobilem quandam uxorem, alias difficulter per purgantia solubilem, toties pur- gari spontè, quoties marito potiunculam purgatricem in cohleari exhibet. Exigua corpuscula cum aëre hausta effi- cientia sunt peragendo isti, cui totum est destinatum. Tan- tillum effluvi ex cantharidibus incautâ manu tractatis ve- sicæ evadit hostile, non secus, ac hæc bestiolæ cauterisantes integræ damnum inferunt. Opii uno alterove granulo ad- huc in primis viis, ventriculo, existente, jam obrepit in somnum propensio, minimis corpusculis ad cerebrum de-
latis

latis æquè, ac totum concretum, narcoticis. Sententiam hanc confirmabunt experimenta nonnulla, quæ Dygbæus in Orat, de Pulvere Sympathetico & Chemicus insignis, DN. Runcel / in nuper editis Annotationibus collegit. Cum itaq; reliquæ hæ unà cum fermento ventriculi sint profapiæ acidæ, effluvia earum ejusdem fore naturæ collectu facillimum est.

§. 13.

Explicatō geniō appetitūs, uti se habet in statu f. n. accedo nunc ad appetitum, ut est in statu p. n. scilicet depravatum, & in specie illum, qui malaciam constituit. Adest verò etiam in hoc stimulus; exposcuntur, quæ appetitum sedent, sed talia quæ totō genere p. n. sunt, neque ullo modo, vi resistentiæ nativæ suæ & seminalis mechanicæq; compositionis, in alimentum cedere possunt. Tunc autem legitimum est alimentum, quando non solum libidinem esitandi explet, sed etiam aptum natum est, ut abeat in chylum specialiter individuo unicuique conducibilem, qui- que postmodum non resistit tincturæ perfectivæ seu balsamicæ bilis, dilutioni suavissimæ succi pancreatici, fermento sanguinis vitali seu mumiali confermentationi, quâ vita sanguini confermentata est, uti loquitur Helmontius, neq; detrectat fieri partium gluten nutritium, seu hoc constituat concurrente lympha, seu, quod nonnulli Angli volunt, succo nervorum nutritio.

§. 14.

Stimulus iste, Autor Malaciæ, itidem, uti stimulus appetitus in statu f. n. acidus est, saltem cum hac differentiâ, ut in aciditate magis sit exaltatus, adeoque quantum divinare licet, magis ad austeritatem Vitriolatam esurinam, seu fluorem acidum sulphuris embryonati,

C

dicens

dicente Helmontio', inclinet. An visciditas quædam simul subfit, hæreo affirmare, cum sciam, acidum subiecto ejusmodi viscido inhærens magis ad flatulentam fermentationem esse proclive, nec non à visciditate adjunctâ ipsius spicula obtundi quasi & inviscari. Ob acidum hoc sylvestre ab ejusmodi agris talia assumuntur, quæ illud ipsum vel saturando, vel edulcorando, vel imbibendo, vel invertendo vel obtundendo, diluendo & inviscando edomant. Hoc acidum verò quibus gaudeat specificis figuris, itidem in unoque individuo ex hoc morbo laborante iterum diversis, quatenus nimirum ab illâ muliercula expetitur creta, non caro, brachium mariti, non panis; ab hac haleces, observante Tulp: L. II. obs. Med. cap. 24, etiam illud ipsum altioris esse indaginis mecum forsan quilibet ingenuè fatetur; cum nobis, utut etiam oculatissimis, in delineandâ schesium indole, & earum ad se invicem multiplici respectu enucleando, quoad minima, adhuc hæreat aqua & hæsurâ sit, uti non ita pridem à spectabili DN:Decano, D.Pechlino publicè ex cathedrâ percepi.

§. 15.

Latissimus hic sese offert campus differendi de specificis specierum & Individuorum fermentis stomachalibus, quatenus nimirum gallina impunè deglutit araneas, non itidem aliud brutū; hic fastidit caseum, ille vehementer expetit eum; Poloni napellum citra noxā intra acetaria reponunt, cum ab aliis gentibus non itidem tutò comedatur; capellæ veratrum assumunt sine purgatione; homo verò ab eodem vexatur; sturni vescuntur cicutâ tutò; istæ Danicæ mulierculæ incauto ejus usu vitæ periculum sibi accersunt, quarum mentionem facit Senex Excellentissimus ille apud Danos, Simon Pauli, in Parecbasi suâ de febribus malignis;
cane-

canesâ comesto gramine canino alvo laborant solutâ, non item vaccæ & alia armenta, seu greges: mures phaseolum non assumunt, licet aliorum alimentorum defectu ipsum etiam periculum vitæ immineat. Verum enimverò cum fermentorum dotes nativæ captum humanum, prout nunc homo etiam Argus cœcutit, longè transcendunt, &, si quid exactiùs determinandum sit, illud ipsum petendum sit à notione particularum fermentum ventriculi constituentium, quoad minimas illarum configurationes, quatenus exinde hic isteve sapor huic illive objecto vel resolvendo, vel cicurando aptus emergit, in hisce verò explicandis hic opus hic labor sit, Plato jubet quiescere.

§. 16.

Ut tamen periculum virium nostrarum tenuium faciamus, puto, quoad antenus, si non per omnia, difficultatem hanc emolliri, ubi non nihil in naturam menstruorum inquisiverimus, quibus Natura & Ars in operationibus suis utuntur. Doleo, hætenus nondum lucem vidisse Boylæi Tractatum de Menstruis subterraneis, quem, nî fallor, in scripto de origine & virtutibus gemmarum promissit. For-
san Astrum hoc scientiæ Naturalis multum tenebrarum, quas & hodiernum in hac doctrinâ de Menstruis palpamus, discussisset. De insipido Menstruo an detur? disputatur adhuc. Quamvis tale non viderim, posse tamen ejusmodi esse in rerum naturâ, vel ab hujus simiâ arte produci, credo. Certè ex relatione Excellentissimi D. Bohnii, cujus nunquam sine honoris præfatione memini, novi, Experimentissimum Borrichium Parisiis certâ quâdam machinâ ex aëre attraxisse aquam in se, quoad gustum, insipidam, quæ tamen corallis affusa ea dissolvit. Et quid aliud judicare debemus de fœtu illo Leporino in cornibus uteri denuo res-
C 2 soluto,

luto, cujus mentionem facit Anatomicorum Antesignanus, Steno, in Act. Haffniens. Vol. I. p. 203. 'quàm quod à Menstruo quodam non æquè corrosivo in corpore matris nato in tale liquamen transmutatus fuerit, non secus, ac tenelli Embryones aquæ injecti abeunt in massulam mucaginosa, saltem characterem seminalis colliquamenti retinentem, observante Everhardo, de exortu hominis brutique. Fermentum verò Stomachale quod attinet, se habere istud quodammodò ad modum Menstruorum in propatulo est. Scilicet, quæ est spiculorum illius activitas, insinuat sese in intima & centralia alimentorum penetralia, resolvendo ista & ab invicem quasi discerpendo. Certè, si ullibi menstrui stomachici energia, in avium quidem genere maximè illa innotescit. Plurimæ illarum dentibus carent vel dentibus quodam alio analogo; nihilominus tamen deglutita in ipsorum ingluvie & ventriculo musculofo tunicâ glandulosâ instructo resolvuntur in liquorem. Prout autem videmus, ut menstrua chemica non perindè agant, sed sphæram suæ activitatis saltem in ea solvenda exerceant, quæ ipsis auscultant, aut porulis ejusmodi sunt pervia, in quos atomi menstruorum perrepere valent; quale quid evenit in solutione auri aquæ regię, non item spiritui Nitri moram gerentis &c. Ita quoque menstrua stomachalia non promiscuè unicuique corpori solvendo sunt: sed oportet hæc & objecta resolvenda quædam figurarum intercedat affinitas, vi cujus agunt, quod agunt. Licet enim stomachales liquores videantur obtinere symbolum Universalis Menstrui, dum stomachus humanus nunc pingua, nunc salina, nunc carnes, nunc legumina & olera, nunc dulcia, nunc amara, nunc mollia, nunc dura, modò se legitimè habeat, subjugum suum redigit; Attamen ne existimemus, illos ipsos æquè

æquè feliciter in unumquodquè promiscuè suas vires exsc-
rere, multa sunt quæ nobis id persuadent. Certè Medica-
menta eludunt ipsorum impetum, quamvis non negem,
plurima horum in stomacho in aliud planè Ens degenerare.
Propines hypochondriaco, cujus fermentum nimia abundat
aciditate, purgans etiam paulo fortius, videbis illum ab
hoc vel planè non, vel saltem modicè alterari, castrante hoc
acido peregrino Sal volatile purgantis, non secus ac fu-
mus sulphuris scammonium enervat. Plurima dantur diu-
retica, quæ demum à tactu menstrualis stomachi liquoris
hanc formalitatem induunt. Pelliculæ pomorum, ceraso-
rum, pisorum, uvarum, corpora licet tenuia & subtilia,
nullo modo se patiuntur vinci à stomacho. Quale quid te
docebit Kerckring. in spicilegio suo. Nil dicam de vitâ me-
diâ Helmontii, seu ejusmodi particulis, quæ semper ferè
à fermento non attinguntur, quas quidem quilibet facile
pro causis occasionalibz multorum malorum habere potest.
Profectò, ipso referente, sues ad littus maris vefcentes ma-
rinis, odorem & saporem istorum carni suæ affricant. Nar-
rat modò laudatus Kerckring. in Spicileg. Anat. Virum ulce-
re cruris laborantem, quoties allium comedisset, odorem
alliatum exulcere de se sparsisse. Et certè Judæorum foeto-
rem quasi connatum ortum suum non minùs frequenti al-
lii usui debere, persuasum habeo. Quid? Ex nimio absyn-
thii usu lac puerperæ evasit absynthites, observante Borri-
chio in Act. Hassn. Vol. II. p. 65. Curiosum est, quod Ma-
gnificus DN. Pro-Rector, D. Morhoff. refert ex Ludovic.
Guion. divers. Lect. Tom. I. Lib. V. de puero quodam à lu-
po nutrito, cui, si credendum Guioni, adeo in naturam lactis
lupini effluvia abierant, ut capti postea sputum, si eo oves
illinerentur, lupos fugârit.

Menstrua porrò etiam, præterquam quod discerpant & resolvant corpora, id fere omnia commune habent, ut adhærendo minimis corporis soluti illud ipsum variè alterent. Lunam, innocuam aliàs, Spiritus Nitri, menstruum ejus, facit corrodentem. Plumbum, in se insipidum, attactu menstrui acetosi dat Sacharum Saturni. Venus cum vinaceis mulctata edit æs viride. Sic in fermentatione Opii, quam post Paracelsum cultiùs restitutam debemus Archiatro Celeberrimo Principis Holsatiæ, D. Joëli Lange-lott, Patrono meo devenerando, non saltem mediante fermentatione resolvitur mistum hoc; verùm etiam ab acido blando succi Cydoniorum, qui menstrui vices sustinet, volatile ejus Sal, sub larva sulphuris occultatum, non nihil castratur, ut evadat Nepenthes maximè tutum & remedium magnarum virium. Eadem ratione cum menstruis acidis tractata purgantia fortiora mitescunt, quatenus ipsorum sal volatile tabefactivum & colliquativum succorum corporis nostri, in specie pinguium molecularum massæ sanguineæ, mitigant. Sic enim Elaterium cum succo pomorum Cydoniorum paratum ad instar Opii ab Experientissimo D. Bohn dedit suave extractum purgans. Pari ratione illud ipsum opium & purgantia per menstrua alcalina tractata in aliam & magis proficuam abeunt crasin, quatenus ipsorum particulis pinguibus, resinosis, alcalia, Sulphurum amantissima, docente Polemanno, sese admiscendo texturam Sulphuream invertunt, & novum quasi concretum producant. Hoc modo judiciosissimus quidam Chemicus contendit Colocynthidem omni privare amaritie, superstitè tamen energiâ purgandi blandâ ac suavi.

§. 18.

His præsuppositis, puto fieri, ut v. gr. gallinarum fermentum non solum resolvat araneas, bestiolas illas venenatas, verum etiam simul aciditate suâ Sal volatile istud nocivum infringat. Insecta verò præprimis sale volatili maximè concentrato, quod in nonnullis de naturâ nitrosâ, e. g. in scarabæis, millepedibus &c. est, abundant. Araneis hoc quoque non in exigua copiâ inesse sequenti experimento probo. Capiantur earum plurimæ & in vase colligantur, ut per spontaneam resolutionem (perquam, dum viveret, Experientissimus Practicus Lipsiensis D. Michaëlis, paravit suam Essentiam lumbricorum terrestrium) abeant in liquamen. Hoc redolet mephytim Sale urinoso nauseosam. Quod verò hæc gallinæ aciditas & non alterius animalis Sal hoc volatile corrigat, id ipsum certæ modificationi particularum acidarum attribuendum venit. Nam ut ut acida in hoc convenient cuncta, ut pungendo, secando, corrodendo, constringendo &c. operentur; hic tamen sectionis, corrosionis &c. modus iterum mechanicè diversus est, prout diversâ ista spicula gaudent facie, ut adeoque etiam inter acida detur quædam quasi Respublica.

§. 19.

Acidum, vel magis austerum, vocavimus hunc stimulum malaciæ; quid verò disponat fermentum stomachi, ut crasin suam nativam relinquat, & ejusmodi morbosam induat, nunc inquiremus. Ut procedamus methodicè, dispiciemus, quomodo in statu f. n. fermentum stomachale producat, quo ipso elucidato, status ejus p. n. eò melius patefcet.

§. 20.

Puto verò istud fermentum partim esse connatum,
partim

partim verò quotidie ab affluentibus succis & superstitibus reliquiis restaurari. Nam uti primâ sub conceptionis delineatione in renes fermentum quoddam præcipitans serum Urinarium à sanguine, quod ex fracido renum odore colligitur, depositum est; uti forsan etiam tantillum fermenti de natura alcalino-oleosabilis vesiculæ, seu potius glandulis miliaribus tunicæ ipsius interiori intertextis, infidet sanguinem per arterias gemellas cysticas affluentem, ad instar Tincturæ seu lapidis Philosophorum, quemadmodum Præceptor meus honoratissimus, D. Bohn, loqui amat, in balsamum ejusmodi transmutans: ita quoque eâdem Naturæ providentiâ factum fuit, ut vel rugis & plicis ventriculi, vel glandulis tunicæ interioris in tubulos excavatos desinentibus adhæreat subtile miasma acidum, vi transmutatoriâ ac fermentali partim sanguinem, aut cum hoc lympham per arterias, partim salivam, & ipsam jam nonnihil contagio acido prægnantem, per œsophagum affluentem acore fermentativo imbuens. Accedunt reliquiæ alimentorum fermentatorum, seu vehiculo ipsi sunt, ut nova edulia assumpta promptè aggrediatur.

§. 21.

Quamdiu itaque acor hic limites non excedit, neque ad fixitatem quandam inclinat, tamdiu dici potest, fermentum ventriculi sese legitimè habere; ubi verò ex ataxiâ quacunque fermentum ipsum connatum, vel, si hoc non arrideat, poruli glandularum, per quas filtratur liquor fermentalis, degenerant, seu hoc fiat spontè suâ, seu à succis corporis nostri nimio acido refertis contingat, in suo sapore acido liquor iste exaltabitur, malaciæ & aliorum malorum, ut plurimum Chronicorum, Autor.

§. 22. Hoc

Hoc verò succorum acidum sua incunabula debet vel causis internis vel externis. Quâcunque ratione enim, forsan propter degenerans fermentum connatum, fermentum ventriculi incipit acescere nimis, alimenta, licet avidè appetantur, & etiam apparenter citò & probè digerantur, non resolvuntur tamen in cremorem chylosum acido-volatilem; sed in pastam viscidam, tenacem, acidam valde, cui corrigendæ in tenui intestino non sufficit Sal volatile alcalino-oleosum bilis, potius abeunt. Non ritè correctus chylus & in Salsum volatile tertium redactus tendit rectâ viâ ad Massam sanguineam, utpote ad quam demum promus condus œconomix animalis, ventriculus, sive bona, sive mala, promiscuè ablegat. Ingravescente hoc malo Massa sanguinea demum etiam quasi acescere incipit, enervatâ successivè ab hoste hoc peregrino blandâ ista misturâ quæ acidum volatile, particulas alcalinas ac sulphureas in sanguine cum aliis combinat, uti non minus reliqui exinde derivati succi, filii sanguinis, lymphæ ac succus pancreaticus a core peregrino inquinantur. Quid? ipsa bilis, alias correctivum acidi, tandem à suo hoste prævalente infringitur, à quo subinde in propriâ cysti in tophos & calculos coagulatur; quemadmodum memini me olim Vratislaviæ in dissectione cujusdam Abbatis nephritici vidisse bilem, ferè totam in plurimos lapillos, uno horum nucis moschatæ moli non cedente, concretam.

Accedit, quod Massa sanguinea jamjam etiam in statu optimæ sanitatis gaudeat suo Sale acido, sine quo & ejus dispari Sale volatili non exercere valeret fermentationem intestinam, quam reapse vitalem vocare licet, quæque omni-

um prima in negotio generationis esse videtur. Hoc Ergo acidum sanguinis à peregrino superveniente acore excitatum & cumulatam mirum quantum corpori hostile evadit. Jam E. poruli glandularum stomachalium acidis particulis magis quàm aliis conformes ex continuo affluente sanguine & quidem eo nimis acido emulgebunt fermentum corpusculis Salinis plus satis abundans. Multum tribuit ad hostem hunc inducendum inertia bilis, ut jampridem monui, quâ fit, ut etiam chylus, licet non æquè in ventriculo aciditatem contraxerit austeram, in naturali tamen suo acore persistat, adeoque, si diu hoc contingat, multum malorum inducat. Huic bilis defectui adscribendum venit, quod subinde ictero flavo superveniat niger, quatenus acidus chylus à deficiente bilis tincturâ non ritè correctus in massâ sanguineâ cum hac concurrens atro-viridem colorem inducit.

§. 24.

Causis hisce internis sese adjungunt, vel etiam has occasionaliter excitant externæ, quæ sex rerum non-naturalium catalogo inscribuntur. Scilicet animi pathemata (ut ab illis exordiar) seu illa consistant in expansivo Spirituum motu, seu etiam concentrativo, pari ratione mihi videntur concurrere ad dyscrasiam humorum, in specie acidam, in sanguine producendam. Tristitia, mœror, alique affectus animæ quasi in se contractæ, uti videntur reverâ pro fundamento habere sanguinem minus volatilibus ac elasticis particulis turgidum & quasi fixatum; ita, si diutius protrahantur, majorem salinorum corpusculorum proventum procreabunt, quatenus nimirum per hos animi angores spiritus volatiles Salino. Oleosi liquorum corporis nostri temperativi cohibentur, quò minus in debitâ expansione intima horum pervadant, & blandâ sui commistione salinorum

norum spiculorum aciem obtundant. Quod verò attinet ista animi pathemata, quâ textura spirituum radiosa corporis extra cancellos se | quasi diffundit, & rapido spirituum volatiliu motu contenta corporis hinc inde rapit, Paradoxon videtur statuere, per hæc non minus, quàm per priora, acidum in corpore augeri; verum enim verò cum hæc sint prodiga particularum spirituosarum, quod ipsorum essentia, quâ talis, consistat in expansivo & celerrimo subtilium corpusculorum motu, hæc verò ipsa sint quasi correctores Salinarum atomorum, ne excedant ullibi, crediderim & hoc modo salis sylvestris acidi infaustum fœtum excludi posse.

§. 25.

Sic si nimis quieti & motui indulgeamus, metus est, ne itidem hanc dispositionem acidam corpori inducamus, quatenus per hunc maximum fit dispendium spirituum Massæ sanguineæ dulcorem veluti conciliantium. Hinc contingere solet, ut nimis exercitiis vel motui corporis indulgentes non facile pinguescant; vel, si pingues sint, iterum graciliores evadant, quòd per motum, hinc aucta transpiratione insensibili, dulces spirituum particule exhalent, quæ aliàs butyrosu istud unguen seu pinguedinem ductibus adiposis Malpighianis interspersam, cum aliis concurrentibus massulis constituebant; aut quod, spiritibus exhalantibus sæpè, Salia magis exaltentur, acido quidem succos corporis nimis rigidos faciente, alcalino verò Sale jam pingues moleculas colliquante & resolvente. Sic enim in febribus malignis, ubi sine dubio alcali volatile peccat, aggredditur hoc massam pinguem corporis eam colliquando, & hinc fluxum alvi colliquativum excitando, vel etiam Urinam corpusculis pinguibus imprægnando. Quod attinet

quietem, existimo per hanc supprimi quasi Spiritus, ut hac ratione liquores debitâ agitatione destituti in vappam acidam degenerent. Accedit, quod in hac transpiratio insensibilis nimium inhibetur, quô fit, ut recrementa Salina sub cuticula collecta morâ continuata acescere incipiant, quæ iterum à venulis resorpta pravam succis diathesin inducunt. Hinc videmus, illos ut plurimum, qui vitam sedentariam agunt, & rarò motui indulgent, obstructions, seu dispositionem hypochondriacam radicaliter in acido fluore fundatam, postmodum per martialia, salina ac volatilia eliminandam, incurrere.

§. 26.

Symbolam suam huc quoque confert aër, prout in hac vel illâ anni statione vivimus. Ut ut enim hic semper ad instar spongiæ seu menstrui cujusdam universalis uniuscujusque corporis figuris convenientes porulos præbentis varii generis particulis scateat; maximè tamen hyemali tempore, nec non autumno & circa Veris exordium Salino-Nitrosi, acidis plus minus, atomis imprægnatus est; quæ cum continuo aëris haustu massæ sanguineæ affunduntur illam ipsam plus minus ad aciditatem disponunt. Hinc frigemus, quatenus partim sal quoddam urens & scindens externum corporis ambit habitum, & internè sanguinis massa superficiali quâdam coagulatione laborat, quâ impeditur, quominus particularum motus, caloris nostri genuina causa, in blandâ fermentatione seu levi effervescencia fundatus, acceleretur. Ex hoc aëris acido stagmate ratio petenda, cur hyeme longè edaciores simus, quàm quidem æstate quatenus uberior salinorum corpusculorum copia in aëre oberrans fermentum stomachale acuit.

§. 27.

Quod attinet excreta & retenta, si foemellis menstrua, à quibus legitimè se habentibus totius œconomiae corporeae foemellarum status sanus dependet vel nimis, etiam inordinatè, vel parum aut planè nihil fluxerint, omnibus hisce modis sanguis & exindè derivati succi plus minus acidam dycrasiam induere possunt; attestantibus id quamplurimis affectibus post hæc menstruorum vitia supervenientibus unico acori ut plurimum incunabula sua debentibus. Et nisi alii adessent morbi, vel unica solapica, certè filia succi acidi aberrantis, ex his menstruorum defectibus subinde emergens, uti §. 3. indigitatum fuit, à partibus meis stare.

Cum abstinentiâ multi interdum magni morbi curentur; per diætæ è contrariò errores multi magni morbi concipiuntur, foveantur & aluntur. Si promiscuè quæque proinde ingeruntur, imprimis prioribus nondum ritè digestis alimentis alia nova adjiciuntur, quid, quæso, miri subest, quod mali corvi malum ovum existat? Certè fructus horarii facile fermentescibiles & sub dulcore suo hostilem acorem occultantes; itidem mellita, quæ ob hoc acidum occultum foeminis hystericis statim suffocationem hypochondriacam inducunt, atque ad unum omnia talia concreta causæ sanguinis alterati & ad aciditatem declinantis existunt. Accedunt comestiones rerum manifestò acidarum item potationes liquorum talium; quorum utut acrimonia non nihil inprimis viis infringatur, vita tamen media Helmontio dicta tantùm abest ut planè tollatur, ut potius in extremis quoque articulis subindè novas vires acquirat, & synoviam ipsorum seu lympham glutinosam in tophos & creta-ceum concretum coagulet. Sic cerevisia acida illibata ad

vias primas delata excitat tormina colica, ad vesicam verò & vias Urinarias effusa stranguriæ fons evadit.

§. 29.

De fœmellarum, præprimis prægnantium, affectu ab acido oriundo hætenus egimus; ad has ergo quæcunque diximus restringenda veniunt. Jam verò in præfamine hujus dissertationis innui, ipsas præ maribus primâ sub conformatione accepisse texturam generis nervosi subtilem & contenta liquida facili de causâ alterabilia. Exindè sequitur fermentum ipsarum stomachicum hac vel illâ causâ accedente occasionali, vi constitutionis faciliè alterabilis, ataxiam posse contrahere. Accedit quod hoc generis humani delitium ut plurimum affectibus suis nimium quantum indulgeat, iisque succumbat, quorum mediante concursu fieri diximus, quod massa sanguinea faciliè labem contrahat. Quid vitii subinde fœmellæ committant circa diætam notum est, adeo ut ex hac ratione quoque solâ sese subinde periculo graviori exponant. Et forsan illud ipsum etiam seminale effluvium, de quo superiùs mentionem fecimus, sanguini muliebri admistum quicquam juris in malaciâ producendâ sibi vendicat, licet non æquè modus, quo istud operetur, mihi cognitus sit.

§. 30.

Uteò meliùs confirmem sententiam meam, quâ statuo malaciæ causam primariam & unicam ferè esse acidum ventriculi aberrans, velim, Lector benivolus probè consideret, malum hoc ut plurimum, licet non semper, ut plurimum tamen fœmellas invadere, quæ vel jam sunt cachecticæ, ut hystericæ, & melancholiæ hypochondriacæ obnoxia; vel ad cachexiam plus minus inclinant. Cachexiæ ve-
rò ut

rò ut & hujus melancholiæ & aliorum chronicorum morborum causam uni soli acido sylvestri acceptam fero.

§. 31.

Dum melancholiæ hypochondriacæ mentionem facio, non obscurè simul innuo, in malaciâ præter acidum hoc peccans aliam causam sociam admittendam esse, quàm Imaginationem certò modò depravatam vocare licebit. Adeò, ut hinc non defuerint, qui malaciæ originem soli imaginationi in transversum abreptæ adjudicare non dubitaverunt, quo inclinare etiam videtur post Paracelsum D. Nathanael Fairfax in Actis Philosoph. Anglor. p. 447. Adhæc novimus, quàm impetuosius imaginationis depravatæ turbinibus ægri cum malo hypochondriaco confluctantes agitentur. Quæ verò formalis ratio sit, quâ fiat, quod ejusmodi subjecta patiantur imaginationem vacillantem, equidem non ita in propatulo esse hariolor. Certè prout tota Massa sanguinea & exinde dependentes reliqui succi plus minus in ipsorum crasi immutati sunt, ita non potest fieri, quin etiam radiosa ac luminosa spirituum animalium systasis à vitali sanguinis rore dependens ac formaliter ratione singularis conformationis ductuum ac tramitum in cerebro imaginationem constituens, non nihil aberret & eclipsin quasi patiatur. Non replebo chartam observationibus variis imaginationis depravatæ, quæ subinde in subjectis malo hypochondriaco obnoxiiis, animadversæ fuerunt; saltem hoc consideratione dignum judico, quod mulieres, dum sunt ingravidatæ, adeò variis imaginationis insultibus obnoxie sint, ut etiam, vi ejusmodi Phantasiæ in idea subtilissimorum corpusculorum certâ harmoniâ motorum consistentis, infœtum mirè agere queant. Annon exindè quicquam colligere licet pro stabiliendâ hypothesi meâ, mulieres scilicet

licet in statu ingravidationis multum in crasi suâ nativâ, quoad contenta, immutari? Certè, quod attinet istum operationis modum, quo fit, ut cerasum projectum in matrem gravidam vi maternæ imaginationis reflexæ in eâdem parte, quam in matre attigit, foëtus caractere indelebili depingatur, illud ipsum quicquid etiam de Ideis operatricibus Viri Magni dixerint, iis, quibus ultra contendunt non sufficiet. Occasione imaginationis excurrere possem ad describendam fascinationem, veneficia, & alias artes magicas, quatenus scilicet operationes hæ cunctæ, si non imaginationi soli, saltem ut causæ ejusdem Sociæ, attribuendæ sunt; verum ne extra oleas vager, progredior potius ad Signa malaciæ.

§. 32.

Cognoscitur verò (ut à Diagnosticis incipiam) malum hoc facillimè; modò non, ut solent nonnullæ mulierculæ, clàm gulæ suæ indulgeant. Aspernantur subinde alia laudabilia alimenta, &, si fortè fortuna in sensus incurrerit objectum appetitui gratum & appropriatum, v. g. creta &c. illud avidissimè appetunt. Prodit se hoc malum quoque, si diutius protractum fuerit colore, nativâ purpura & colore geniali in pallidum degenerante, quatenus jam Massæ sanguineæ multum de suo vigore detractum est.

§. 33.

Prognosin quod spectat, primâ videtur, uti §. 1. Disp. dixi, fronte malum hoc leve nullius planè momenti esse; Verùm enim verò, uti parva scintilla neglecta magnum sæpè parit incendium; ita quoque superficiale hoc pathema tractu temporis saburræ ingenti cumulandæ in Massâ sanguineâ ansam præbet. Depauperatur Massa sanguinea suo
inqui-

inquilino optimo acutilissimo, Spiritu sc. volatili ac sum-
mè mobili, cum ex ejusmodi subjectis indigestibilibus, ut
ita loquar, parum vel nihil quintæ essentiæ elicitur, quæ
reverà sustentaculum præbet elateri Spirituoso, totius cor-
poris balsamo ac directori. Hinc sensim massa sanguinea
vaporescit, coacervantur cruditates; obstipatur alvus & ca-
chexiæ seminia altas agunt radices. Insuper metuendum,
ne embryo malè ex hoc matris morbo habeat, dum legiti-
mo chyloso, dulci ac suavi colliquamento, quò nutritur,
orbatur; cum potius omni matri studendum sit, ne quic-
quam ærumnæ miser foetus ipsius culpâ ac labe patiatur. So-
la dispositio cachectica, quæ comes individuus hujus af-
fectus est, sufficit, ut ad Curam Malaciæ nos accingamus.

§. 34.

Fermentum verò est quod fax & tuba hujus turbæ au-
dit, cui se adjungunt imaginatio depravata & succi corporis
plus minus ex statu suo dulci ac suavi delapsi. Hinc vide-
mus duas potissimum suboriri indicationes, ut fermentum
ac liquores ad *ἀκμὴν* aciditatis evectæ infringantur, & de-
mum correcti per convenientia cribra eliminantur. Quod
si verò suspicio adsit tantillum adhuc restitare malæ disposi-
tionis in contentis, corporis non æquè inconsultum vide-
tur, per aliquod tempus alterantia usurpare, quæ si per dia-
phoresin operantur, non adeo incongruum erit. Imagina-
tioni non opus est, ut specialissimè succurramus, cum re-
motis istis impedimentis, quæ ipsam depravatam reddunt,
sponte ad meliorem frugem se recepturam esse mihi per-
suasissimum habeo.

§. 35.

Antequam igitur malum hoc vel per purgantia vel vo-
mitoria foras proscribamus, tutò insitemus acidum inver-

rentib, obtundentibus, absorbentib.& enervantibus remediis; cum non tutò semper liceat vel per purgantia vel per vomitoria humores excessivos, nisi præparatos, in corpore movere. Sic enim hypochondriacorum alvus sollicita per remedium purgans, antequam præparantia fuerint adhibita, subinde immensos dolores excitat, sine tamen subsequenti effectu optato. Acidum ergò hoc potenter infringent alcalia fixa quæcunque, cum in his non detur prærogativa, terrea, in specie ossea ac marina, acidi destructiva potentissima, ut ex iis etiam Magnum suum præcipitans præpararit quondam in Academia Lipsiensi Celeberrimus Professor Medicinæ, Langius. Quibus adde Martialia, & Salina ex Tartari prosapiâ oriundâ, liquorem terræ foliatæ Tartari, Tartarum Vitriolatum secundum præscriptionem Tachenii præparatum, Panacæam Holsaticam, Sal digestivum hypochondriacum ex Capite mortuo spiritus salis Ammoniaci cum Sale Tartari parati petitum. In specie commendo marina & cancerina, testas cochlearum, &c. quibus si affundatur, uti ex Observatione D.D. Ettmulleri habeo, Spiritus Salis excitatur odor Urinosus. Si Martialia adhibeantur, non in consultum esse duxerim, iis nonnunquam adjungere blanda acida, quod sine his usurpata remedia chalybeata subinde plus damni quàm utilitatis conferant, sicubi fides fuerit habenda Medico-Practico versatissimo Hallensi, qui hanc cautelam mihi in aurem quasi dixit. Certè videtur iste naturæ methodum secutus fuisse, quæ acidulas, acidi potentissimas domitrices, constituit; constant verò hæ ex phlegmate minerali, venaque Martis à Sulphure embryonato corrosâ; ut adeoque tacitè prudentissima Morborum Medicatrix, Natura, videatur indigitare, Martialia cum blandis acidis esse propinanda. Salium volatilium mentionem

tionem non feci, quòd existimem hæc non æquè tutò concedi mulierculis prægnantibus, agitando nimium massam sanguineam seu furorem quendam quasi in vasis uterinis excitando. Aromatica vi sua Oleoso - Salina acrimoniam strenuè obtundentia an cum fructu adhibeantur, nescio, cum exploratum habeam ex D. D. Bohnii experimento, aromata acriora aceto injecta illud ipsum longè acrius ac penetrantius reddere. Nucem moschatam non rejecerim, cum sciam ex lectione Bontii Tr. de Medicinâ Indorum, illam diutiùs comestam vi suæ oleaginositatis fermentum ventriculi & appetitum planè destruere.

§. 36.

Mitigato igitur hac ratione illoacido in primis viis, per remedium quoddam purgans istud *ἄνω* sive *κῶτω* præscribendum est plenarie ex Oeconomîâ animali. Vomitoria hoc in casu tutò posse adhiberi suadent vomitus isti sæpiùs recurrentes, qui mulierculas primis graviditatis mensibus vexare solent; adeoque in malaciâ, omnibus ritè ponderatis circumstantiis, & fœmina in primis gestationis mensibus constituta vomitorium aliquod antimoniale propinarem. Attamen & hîc, uti ubique, cautâ ac prudenti circumspeditione opus est, ne uterus in consensum rapiatur, & fœtui exinde damnum vel ipsa mors inferatur. Quod ipsum quoque probè attendendum venit in remediis sic dictis purgantibus, quæ non facilè præscribi solent mulierculis gravidis, ob metum istum, ne uterus intestino recto contiguus simul irritetur ad suam sarcinam intempestivè deponendam, adeoque fœmella abortiat. Si tamen quicquam hæc via peragendum, lubricitantia & laxantia blanda, v. g. passulata, in specie decoctum passulatum Timæi non inconsultò in usum vocarentur.

§. 37.

Denique, factis faciendis, si suspicio tamen adhuc resistat, ne sanguis quandam labem contraxerit, ut monstrum cachexiæ proinde primâ in herba suffocetur, nisi in statu ingravitationis id liceat tutò in effectum deducere, extra illum præscribantur remedia anticachectica, Salina, volatilia, & sic dicta deobstruentia, Martialia, blanda aromatica aliaque. Sic Medicum Spartam suam optimè ornâsse, &, quæ è re sunt, peregisse existimo; nec dubito, quin hac ratione muliercula pristinam sanitatem sit indeptuta.

§. 38.

Interim observandum, ne ullum in sex rebus non naturalibus committatur vitium, ut fomiti omne nutrimentum subtrahatur. Affectibus suis frænum injiciet, ac circa assumptionem alimentorum errorem evitabit sui foetusq; amans mulier. Tandem Medicus nunquam obliviscatur, sibi negotium fieri à gravidâ quæ tantò magis prudenter ac cautè tractanda venit. Faxit Lector benevolus, ut, quæ de appetitu pravo mulierum scripsi, aliquâ ex parte ad palatum ipsius esse possint.

DEO sit Laus & Gloria.



Corol-

Corollaria.

1. *Medicus Naturæ i. e. vitæ, quæ unica, est, Minister est.*
2. *Hinc datur Panacea.*
3. *Tinctura sanguinis dependet ab explicatione particularum oleoso-Salinarum; quæ explicatio primum à vi plasticâ per motum expansivum introducta est.*
4. *Pingues particule alimentorum non auscultant fermento ventriculi acido. Hinc intactæ à bile Salino-oleosâ demum resolvuntur, & ad instar lactis sulphuris, à succo pancreatico precipitantur. Precipitatum dat stercus solidum.*
5. *In affectibus soporosis statuo cum Helmontio Miasma narcoticum intus natum.*
6. *Fermenta morbosa qualitate frequentius, quàm quantitate, peccant.*
7. *Sulphura metallorum fixa, v. g. Sulphur Veneris fixum Helmontii, vera anodyna sunt.*
8. *Tinctura Lunæ genuina non est cœrulea.*
9. *Sulphura varia antimonialia per acida & alcalia elicita, non differunt à Sulphure communi inflammabili.*
10. *Spiritus ardentes & olea destillata accidentaliter inter se differunt.*
11. *Non planè ab omni phlegmate essentiali privanda concreta.*
12. *Nec aliquibus mineralibus desunt salia volatilia utut deesse illis communiter putentur.*
13. *Spiritus vini genuinus saporem vini exactè refert.*
14. *Ex Spiritu vini oleum separari potest.*
15. *Balsama Sulphuris fiunt optimè ex Epate Sulphuris.*
16. *Exiguum acidum Mercurium coagulat. Arcanum esto.*

17. Spiritus Salis leni igne intra horæ spatium destillari potest.
18. Salia volatilia vegetabilia nisi adhuc retineant quicquam olei nativi non referunt crasin specificam.
19. Oleum vitrioli, der Scheide: Schwefel / Glauberi ex oleis destillatis præcipitat resinam, exhalante sale volatili.
20. Labes primæva Helmontio sic dicta Mercurium per digestionem erodit in præcipitatum rubrum.
21. Cinamomum habet præter phlegma & ponderosius oleum, etiam oleum aliud æthereum per solum lampadis ignem eliciendum in furno & cucurbita aneis, ex inventione Septala.
22. Aqua cum oleo misceri potest.

TRALLESI, infamem stomachi latrantis
orexin
Qui memoras chartis pensiculasque tuis,
Laudandam ingenii nobis ostendis orexin,
Et solido saturas pectora docta cibo.
Fæmineo placeant obsonia stulta palato:
His absurda gula est; mens tibi sana sapit.

*Inter occupationes gratulabundus
scribeb.*

D. G. MORHOFIUS D. Pr.
Acad. h. t. ProRector.

Ad

Ad Nobiliss. Clariss. Dn. J.C. Tralles

Eruditæ Disputationis

AUTOREM,

Medicinæ Candidatum longè

dignissimum.

PRæside Me Doctis Tua Commentaria confers,
Queis ceu fulmineo nosceris Ungue Leo.
Hinc mutare nefas duxi, vel falce Lituræ
Plectere tam doctæ nobile Mentis Opus:
Libera quin facile in cunctis Tibi Penna remansit,
Cujus Defensor Tute peritus eris.

Tam docti saltem properent huc sæpe Minervæ
Filii! In Ipsorum Laudibus Omnis ero.

JOH. DANIEL MAJOR, D.

Med. Prof. P.

MIra animi pestis suspectaque semina morbi,
In medicis nimum cognita PICA scholis.
Virgineos quondam fertur bacchata per artus,
Et vapido signans ora colore fames.

Nunc etiam Matrum gravidâ prorumpit ab alvo,

Et coquit immani Mascula membra lue.

Non assueta placent, non vulgò nota voluptas,

Nec quæ aliàs teneræ deliciosagulæ.

Sed,

Sed, furor ! insolitas rabies spatiata per escas,
Mille sibi, poscit fercula, nulla probat.
Pascitur absurdis tantum furiata libido,
Nec tolerat mites lymphæ salina cibos.
Jam pretiosa gulam juvat indigestaque turba,
Et modò quisquiliis hæret inemta dapes.
Hæc dudum variis exercuit improba curis
Et medicam tabes respuit usque manum.
Seu quia sæva mali radix sese intulit olim,
Seu quia ventre sedet, seu quia mente dolor,
Scilicet, è trivio nil profectura petuntur,
Arcano fuerat cum subigenda Sale
Longè alias quærit firmasque examine dextras;
Et Chymicis longè quæ caluere tocis.
Hæ Tibi cum raro junganrur fædere dotes,
Te solo fugiet præcipiente malum.
Tu mihi, namque vides hiræ quâ parte Laborent,
Et cerebri lateat quâ ferè parte dolor.
Tu mihi, nam Chymicam doctè sapis unus Eleusin,
Securos poteris suppeditare sales,
Quos Tu cum doctis cœpisti inspergere chartis,
Mota Tu nobis multa saliva Sale est.

*Nobilissimo & Clarissimo Viro Dn. Candidato
cum multijugæ prosperitatis voto
scribebat*

JOH. NICOL. PECHLIN.
Med D. & P.

